

INDEX ALPHABETICUS  
CANONUM ET CAPITULORUM OMNIUM  
DECRETI, DECRETALIUM GREGORII IX. SEXTI,  
CLEMENTINARUM, EXTRAVAGANT. JOAN-  
NIS XXII. ET COMMUNIUM;  
OPERA  
JOAN. LEL.

P R A E F A T I O.

Indice Titulorum Juris Canonici ad novam formam redacto, ad novum etiam Canonum & Capitulorum Indicem operam duxi conferendam, ita ut Rebus secundum Rubricas ad ordinem alphabeticum dispositis, Capitula, quibus continentur, ad certam normam referrem. Tria vero, quae ad id me potissimum impulere, Lectori, ut labore qualicunque frui valeat, exponere operæ pretium est.

1. Defectus quippe præcedentium Indicum, qui hucusque prelo prodierunt; Illi siquidem parum accuratè secundum ordinem Alphabeti constituti sunt, ut conferentia patebit: Accedit, quod in præcedentibus Editionibus hæc formâ emissis, nec notatis paginis, Capitulum diutius fuerit inquirendum, Tyroni intelligo, cujus labor hoc Indice levatur, dum singulis Capitulis paginæ signatae sunt: Quinimò, evolvendi fuerunt sex diversi Indices, *Canonum Decreti*, *Decretalium*, *Sexti*, *Clementinarum*, *Extravagantium Joannis XXII. & Communium*; quibus evolvendis quantum temporis terendum fuerit, vel ipse novi, dum Jus Sacrum primum libavi; Hic vero singulari & quotquot sint Capitula toto jure diffusa, unicâ serie perstringit, & tali, ut primo intuitu *Decretum à Decretalibus*, & vicissim ceteræ Collectiones ab his discerni valeant; Quæ enim priori se lineâ offerunt, *Canones* sunt seu *Capitula Decreti*, inter quæ initialia Distinctionum, Causarum & Quæstionum, quæ sunt *Gratiani*, *Litteris* ut vocant *Italicis*, imprimi curavyi, quæ vero in Contextu eundem Gratianum Attestorem habent, quia cum Canonibus quandoque confunduntur, eodem cum illis charactere imprimuntur; Ea, quæ hic annotare forte non abs re erit; sunt autem sequentia:

*Paulus Diaconi*, 47. caus. ij. quæst. 7.

*Qui Calunniam*, 2. v. quæst. 6.

*Cum Majores*, 20. viij. quæst. 1.

*Unde ipse*, 2. viij. quæst. 1.

*Cogitatio*, 21. de poenitentia, distinctione 1.

*Hanc societatem*, 12. Eadem distinct. 4.

*Sicut ergo*, 9. XXXV. quæst. 9.

Capitula Decretalium *Gregorii IX.* Lineâ paulò interiori continentur cum ceteris Collectionibus, quas quidem Collectiones minores *Litteris* etiam *Italicis* impressas habes, incundâ, ut opinor, sed utiliori varietate, quæ, ut dixi, Decretales ab his distinguat.

2. Quod

## Præfatio Indicis Canonum & Capitulor. omnium.

2. Quod autem in *Editione Romana* iussu *Gregorii XIII.* maximo legentium fructu, contulerunt *Correctores Romani*, Canonibus Decreti, Auctorum nomina subjungendo, Decretalibus *Gregorii IX.* & cæteris collectionibus, præstati, ut omnimodæ Correctioni, similique foret adjumento, quod olim Decreto Gratiani adhibitum fuerat; Et sicut Legum Civilium cupidi, in Indicibus quos illarum compilatores effecerunt (majori dicam Auctorum labore, an Studiosorum commodo) dum Titulis Libros, Legibus Numerum in Titulis adaptarunt, prorsus idem perfeci, ne quod præstat dignitate Juri Civili, vel in hoc ipsi postponeretur; inferendo insuper Capitulis *Regulas Juris in Sexto*, tum, ut hac in parte deficientibus Indicibus succurreretur, cum etiam has Regulas, quasi inadvertentes Studioſi memorie mandarent, dum Indicem manibus versabunt.

3. Sed nec minori minusvē necessariā legentium utilitate exemplo *Joannis Guörneri* a, quem in hoc secutus est *Antonius Broſius* b Arvernus Presbyter in Indice Canonum Decreti, additi sunt Canonum numeri in Distinctionibus & Quætionibus: Sic nempe citra temporis jacturam, loca citata inveniuntur, nec tota Distinctio vel Quæstio percurrenda est. Quam ergo prædicti Auctores operam adhibuerunt in Decreto, eandem, ut monui, in Decretalibus & cæteris Collectionibus attuli, servatā, quantum licuit, citandi methodo apud Auctores usitatori, à qua nonnihil aberrasse vīsi sunt *Guörnerus* & *Broſius*. Hanc tamen in omnibus non adeò servavi, (si vera citandi methodus in Indicibus impressis probè servata sit) sed quasi necessariò ab illis recessi, in hoc & similibus verba rejiciendo: Etenim imprimis solitum fuit Ca. *si is qui p̄œft.* xj. qu. 3. & illud *si is qui*, xxij. q. 4. Ratio fuit, quod si sufficiat allegari Ca. *si is qui*, per hæc sola verba *in causa* xxij. sufficere debet *in Causa* xj. Et sanè satis ab invicem discernuntur per *Causam* xj. & xxij. Hæc enim verborum additio in Cap. ejusdem initii magis confundit quam distinguit; sed & arbitraria est, & ad libitum omittitur, quod constat ex ini. ameris allegationibus, hoc vel illo modo: argumentoque esse potest Correctio Romana in Can. *Futuram*, 15. xij. qu. 1. ubi can. 1. dist. 88. citatur tantum per hoc verbum, *Decrevit*, quod in suo Indice servavit *Broſius* sequentium verborum additor copiosus, & in hoc ab ipso *Doujatio* c laudatus; In Indice tamen Editionis Romanae imprimitur: *Decrevit sancta Synodus*, & apud *Guörnerum*: *Decrevit sancta Synodus nullum* Præ omnibus, mihi maximè placet *Broſii* citatio C. *Decrevit*, eamque duxi in similibus sequendam, quanquam non in omnibus, propter receptissimum modum verba in certis aliis addendi.

Similiter videntur Capitula *Episcopus*, per hoc solum verbum alleganda, argum. dist. 88. quod dic de Capitulis *si qua*, argum. xxvij. qu. 1. c. 22. & 28. de Capitulis *si quis*, argum. xj. qu. 1. & 3. xvij. qu. 4. xxvij. qu. 1. & 2. &c. de Capitulis *Pervenit*, argum. xvij. quæſt. 2. & aliis pluribus. Nam cui bono prædicta & alia Capitula in editione Romana, &c. prænotantur numeris j. ij.

a *Guörneri Index Canon. Decreti* prodit in lucem cum ejusdem *Analyſi Lib. IV. Institution. Juris Canon. Urſellis 1604.*

b *Index Broſii* adaptatus est *Editioni Juris Canonici Parifiſi M. DC. LXXXVII.*

c *Jouſ. Doujatinus* prænotation. *Canoniarum Lib. V. cap. 23. pag. 725.*

## Præfatio Indicis Canonum & Capitulor. omnium.

ijj. &c. ? Adde Cap. *Si quis*, &c. promiscuè citari d per hæc prima verba vel additis sequentibus verbis, quem modum tandem retinui, sed adjectis in margine numeris j. iv. vij. x. &c. inde fit, ut citatio, quoquo modo fiat, facilius vel conferri, vel restitui valeat.

Possent etiam hæc Capitula utroque modo poni in Indice, quod in aliquibus etiam servavi; sed privati non est hanc in se provinciam suscipere, utpote non omnibus placitaram, licet permultis utilissimam: Et ne ad majorem mollem Index sic exresceret, judicarem rejicienda *Initialia Gratiani* & horum loco Capitula hoc dupli modo substituenda; hæc tamen *verba Gratiani* retuli ad indicem pro more recepto in editione Romana, suppletis etiam exemplo *Brosii* quibusdam, quæ deerant: Ex. gr. *Duo Clerici* in principio *Causæ xix.* &c. Plura alia in præsenti correxi, restitui: quæ quidem attingere libet, sed enarrare foret longius; verbo dicam, Capitula omnia non semel, sed bis atque iterum, exscripsi, legi, relegi, omissa quæcunque, pro posse, restitui.

*Bis posita* sine ullo discrimine, ut c. statutum est. ij. qu. 6. &c. *Et supposita*, si quis reliquerit, *dist. 30.* Placuit ut iis. xxij. quæst. 5. secundùm tropologiam, *dist. 37.* delevi. Malè allegata, *si quis obligatus*, pro *si quis oblitus*. 4. xiv. qu. 4. Et falsas inscriptiones, c. *si quis ab Episcopo*. 20. ij. qu. 7. Concilium *Arelatense*, pro *Aurelianens.* j. c. *si quis Diaconus*. 29. *dist. 50.* *Isidorus* pro *Hormisda Papa*, & similes errores hinc inde restitui; quas quidem falsas allegationes & inscriptiones habuit *Editio Parisiensis* an. 1687. hasque non correxit *Lipsiensis Editio* an. 1695. sumptibus *Job. Friderici Gleditschii*, plurimosque alios errores hic & alibi longè majoris momenti ad Exemplar Parisiense expressit, ut novos taceam.

Cæterū sicut in Decreto *Correctiones Romanas* per litteras CR. designavi, ita in Decretalibus *Partes Decisæ* per litteras PD. utrasque sub *Gregorio XIII.* adhibitas, Capitulis addidi: Cujus ratio, necessitas *Correctionum Decreti* & *Partium Decistarum* in Decretalibus, fuit; Cùm enim in editione Textūs Canonici *Casus* five species facti, olim à *Bernardo Compostellano* hortatu vel forte mandato *Innocentii IV.* exarati cum Glossis deleti fuissent, ad faciliorem Scholarum & Legentium usum, supplendi fuerunt in quibusdam Capitulis magis notabilibus; Exemplo esse possunt c. *Consilium*, 2. de observat. jejunior. cap. *sicut*, 8. Ne Clerici vel Mon. &c. & obscurioribus; vel partes aliquin etiam notabiliores addendæ, ut cap. *solitæ*, 6. de Majoritate; cap. *Quod Clericis*, 9. cum seq. de Foro compet. cap. *cum ab omni*, 10. de vita & honest. Cler. &c. quod in prædictis partibus decisis præstatur: adeoque quo fructu *Correctiones* & *Partes Decisæ* consignatae sint, ex harum & præstantiâ & necessitate judicabit Lector; qui etiam memor erit sèpè dictas *Correctiones* Decreti inveniri solum in editionibus *Gregorii XIII.* & similiter *Partes Decisæ* in ejusdem Pontificis Textualibus editionibus, nisi editionem Antverpianam *Antonii Contii* de anno 1570. exceperis.

d Vide Notam marginalem in ca. convenientibus, 4. j. q. 7. ad ca. *si quis*, 11. xxvij. qu. 2. &c.